MILES



MMACULATÆ

ANNUS II JANUARIUS — MARTIUS 1939 NR. 1. (5)

SUMMARIUM

Ad Lectorem 2
Ab Administratione 3
Diligentes Mariam diligimus Iesum . 4
Beatus Ludovicus Maria Grignon servitium Immaculatae V. suscipit . 8
Belgium Marianum 12
„Nostra Domina de Jazłowiec" . . 15
Quid Patres Ecclesiae in suis scriptis de B. V. Maria censeant 17
De partibus Immaculatae Virginis in formando „novo homine" . . 21
Chronica 23
Militia Immaculatae (M. I.) . . . 31
Bibliographia 31

Ab Administratione

Hoc etiam anno „Miles Immaculatae" tertio quoque mense, ampliore tamen quam hucusque volumine, typis edetur. Protegente Virgine Immaculata „Miles" brevi tempore unoquoque mense Eius gloriam praedicabit.

Sicut ab aliis nostrorum scriptorum lectoribus, ita quoque a Rev. Lectoribus „Militis", quidquid oblatum fuerit accipiemus. Tota enim nostra actio in donis, ab amicis nostris spiritualibus ad gloriam Immaculatae propagandam missis, posita est. Norma pretii annuae subnotationis infra statuitur. Omnibus tamen qui praesertim in terris missionum nec minimum donum dare possunt, „Miles Immaculatae" libentur gratis mittetur.

In sequentibus nationibus oblatio nostro nomine mitti potest: **America Meridionalis:** Banco Polaco, Polska Kasa Opieki, BUENOS AIRES, c: Tucuman 466, Konto Nr. 10.300. **Belgium:** Postcheckambt BRUSSEL Nr. 324554. **Cecoslovacchia:** Postovni sporitelna PRAHA Nr. 59606. **Dania:** Postgirokontoret KOBENHAVN Postkonto Nr. 14924. **Gallia:** Bureau de Chèques PARIS Nr. 1655.93. **Hungaria:** Scheckkonto BUDAPEST Nr. 13.899. **Jugoslavia:** Caisse d'épargne postale BEOGRAD Nr. 66-579. **Latvia:** Bureau de Chèques postaux à RIGA Konto Nr. 4364. **Polonia:** PKO. WARSZAWA, Konto 150.283. **Romania:** BUCARESTI 24.936.

Superiorum et Ecclesiasticae Auctoritatis permissu.

Director P. Maximilianus M-a Kolbe — *Sponsor* P. Pius M-a Bartosik

Pretium annuae subnotationis: Dona, quae quisque ex animi sententia offert, grato animo accipimus; norma 0.75 fr. helv. (5,50 lirae ital.) in Polonia — 0.65 zł.

Directio et Administratio MILITIS IMMACULATAE —
NIEPOKALANÓW (Wr.) Polonia (Pologne)

Niepokalanów. — Typis „Militis Immaculatae"

MILES IMMACULATAE

ANNUS II JANUARIUS — MARTIUS 1939 NR. 1. (5)

Ad Lectorem

„Militis Immaculatae", qui id spectat, ut devotio Immaculatae Virginis per totum orbem terrarum propagetur, iam multa milia exemplarium edita atque ad Rev. Clerum in toto mundo missa sunt. Ubique terrarum quam amicissime acceptus est, quod multis litteris ad nos scriptis ex variis orbis terrarum partibus atque missis optime comprobatur. En nonnullae eorum.

Roma.

Rev. Pater,

Summo gaudio affectus sum, quod illud periodicum, Militem Immacalutae dico, cuius moderatores sibi caritatem erga nostram dilectissimam Matrem propagare proposuerunt, in lucem prolatum est. Quod consilium vehementissime comprobo. Utinam Illa, Cui hoc periodicum servit toti Vestro labori benedicere ad caritatem erga Ipsam Immaculatam imprimis inter sacerdotes promovendam dignetur.

Città del Vaticano.

Rev-me Pater,

Gratias ago pro fasciculo Militis Immaculatae, quem huic Secretariae, obsequi gratia, humaniter misisti.

Mea itaque vota atque omina Tibi libenter declaro, ut ista Militia Immaculatae salutares fines, quos sibi proponit, plane consequatur.

Vicariatus Apostolicus de Tatsienlou, Sikang, Sinae, Asia.

Adm. Rev Moderator

Gratum mihi fuit Ephemeridem, quae titulo Miles Immaculatae insignatur perlegere. Est enim instrumentum ad propagandum cultum erga Beatam Virginem Matrem et incitat ad filialem pietatem in Eam, praesertim inter c'eros.

Opusculum erit sacerdotibus pretiosum et utile. Ibi invenient alimenta pro se et documenta ad promovendam devotionem Mariae inter suos fideles.

Velis igitur, Benevole Moderator, mittas decem exemplaria Vicario Apostolico, cuius cura distribuentur sacerdotibus praesertim Saecularibus.

Helvetia, Landquard,

Rev. Directori „Militiae Immaculatae",

Maximo cum gaudio periodicum „Militis Immaculatae" lingua latina editum accepi, quod vehementer in Helvetia propagare desidero. Volo propagare periodicum in Collegiis studiosorum Helvetiae et in Conventibus religiosorum. Spero me quoque multos sacerdotes in Seminariis et paroeciis inventurum esse, qui illud periodicum studiose legant. Cupio pariter pro meis viribus et spem habeo per Militiam Immaculatae multas animas Deo adducere.

Itaque ex toto corde nostro his omnibus lectoribus et studiosis, qui magna cum benignitate et amicitia nostrum periodicum censent, maximas gratias agimus et in posterum nostra consilia, quae sola caritate erga Virginem Immaculatam impulsi cepimus, quam optime ad prosperum finem perfici iubemus.

Tum quoque magnas gratias agemus pro animadversionibus, quas quisque ad nos mittere velit in rebus quae ad Militem Immaculatae componendum pertinent.

Directio „Militiae Immaculatae".

Diligentes Mariam diligimus Jesum

Ad hanc quaestionem intelligendam considerandus est: 1 Amor Jesu erga Mariam, Matrem Suam; 2 Amor Mariae erga Jesum, Eius Filium Divinum; 3 Intentio nostra sive explicita sive implicita.

AMOR JESU ERGA MARIAM

Sanctissima Virgo est vera Mater Jesu Christi, Jesus Christus autem verus Eius Filius; inter Hunc Filium et Hanc Matrem existit dilectio, cuius magnitudinem nec homines expriment nec angeli.

Mariam Jesu dilectam esse elucet ex hoc, quod 1° cum posset eligere Sibi matrem de mulieribus, elegit Mariam; 2° Hanc peculiaribus exquisitisque ornavit privilegiis, donis, gratiis, virtutibus ideoque praeposuit Eam omnibus creaturis.

Privilegia Beatissimae Matris, quibus Eam amans Filius ornavit, varia, multa atque magnifica sunt adeo, ut neque hominum neque angelorum linguae valeant Immaculatae Virginis gloriam effari.

Quorum privilegiorum numerus indefinitus est. Solemus tamen illum exprimere numero 12, innixi visione S. Joannis Evangelistae, qui vidit in extasi coronam stellarum duodecim in capite mulieris, quae ipsi apparuit. Sicut per duodecim tribus Israel, quos Apostoli in fine mundi iudicaturi sunt, omnes homines significantur, ita rursus 12 stellae in corona Beatissimae Matris omnia Eius privilegia significant, etsi illa longe numerosiora sunt.

Notiora nobis praestantioraque privilegia Mariae sunt: 1 Dignitas Matris Dei; 2 Immaculata Conceptio; 3 Intacta Virginitas; 4 Libertas ab omni peccato personali, immo etiam ab omni imperfectione; 5 Plenitudo, in summo gradu, gratiarum, virtutum et donorum Spiri-



tus Sancti; 6 Assumptio in coelum cum anima et carne; 7 Dignitas Reginae coeli et terrae; 8 Mediatio omnium gratiarum; 9 Omnipotentia supplex; 10 Singularis potestas moribundos adiuvandi; 11 Refugium peccatorum; 12 Suavitas Eius nominis, seu, quod Deus unamquamque devotam invocationem nominis Mariae gratia sua remunerat.

Quia Jesus Christus amat Mariam tamquam Eius Filius, ideo omnes proprietates perfectionesque amoris filii erga matrem applicandae sunt etiam amori Eius erga Mariam. Quilibet bonus filius non tantum ipse solus amat matrem suam conaturque delectationem ei afferre, sed etiam desiderat, ut alii quoque eam ament, honorent, delectationem ei afferant et opinionem voluntatemque eius aestiment – inde etiam Jesus diligendo Divinam Matrem suam desiderat, ut Eam etiam totus mundus amet, ut omnes homines Eam cognoscant, venerentur, aestiment magnam Eius dignitatem, respiciant eius voluntatem, assimilent Ei seipsos, et omni modo delectationem Ei afferant.

Amare igitur Sanctissimam Virginem, Eam colere, honorare, augere Eius delectationem, nos ipsos Ei assimilare, ad Eius honorem Rosarium recitare, eloqui cum amore nomen Eius sanctum, invocare Eam in omni necessitate, ut praestet nobis auxilium et lumen, significat sequi mentem desiderium voluntatemque Jesu Christi. Facere autem id, quod Jesus vult, hoc est diligere et colere Eum Ipsum.

„Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis" Mat. 25, 40. – dixit Jesus Christus indicans unumquemquem mortalium. Eo magis sensus horum verborum applicandus est Matri Eius.

E contra, ille qui Mariam alienam reputat Eamque contemnit, vulnerat cor Jesu. Nullus bonus filius aequo animo potest sua mater contemni vel frigide tractari. Nemo regum concedit, ut ministri eius et subditi eum ipsum solummodo colant, matrem autem eius contemnant. Statim ostendit eis se non tantum omne opprobrium pati, sed unamquamque etiam minimam matri suae ostensam inteneritatem se ita sentire, ac si ipse eius obiectum sit. Citissime intelligent aulici optimum modum lucrandi gratiam regis conformationem eius voluntati esse.

Inanis ergo nonnullorum timor est, ne, dum orant ad Mariam, relinquant eo tempore Jesum Christum et molestiam Ei afferant. Non molestiam, sed laetitiam prodit vultus Salvatoris, dum videt fideles Sanctissimam Matrem Eius colere. Filius amans plus gaudet, quando matrem eius honorant, quam ut si ipse honoretur, ad minimum autem honorem matri praestitum censet tamquam sibi datum. Similiter etiam Jesus tamquam propriam habet gloriam praestitam Matri Eius.

Perpulchre in hac materia dicunt Sancti: S. Gregorius Nicom.: Creator tamquam propriam habet gloriam quae datur Matri Eius. S. Bernardus: Minime detrahit Filio, qui Matrem eius honorat, tanto maior est gloria Filii, quanto magis Mater Eius honoratur. S. Alphonsus M-a Liguori: Desiderium Jesu Christi est videre Matrem suam ab

hominibus amari atque honorari. B. Ludovicus M-a Grignon: Maximum desiderium Filii est, ut per Sanctissimam Matrem ad Eum perveniamus.

AMOR MARIAE ERGA JESUM

Maria vere est Mater Jesu Christi, et tanto amore Eum diligit, quantum Summum Opus divinae Sapientiae ac Omnipotentiae attingere potest.

Secundum theologorum doctrinam Beatissima Virgo plus et perfectius amat Deum, quam omnes creaturae simul sumptae. Hic sane deficit noster intellectus. Facta comparatione amoris cum flamma ignis possumus repraesentare nobis amorem uniuscuiusque angelorum ac sanctorum sicuti flammam unius candelae et amorem Mariae ut fulgorem solis. „Signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim". (Apoc. 12.1.).

Deus, creando Beatissimam Virginem, destinavit eam Jesu. Sicut horologii est horas indicare, ita etiam Mariae est existere propter Iesum. Inde finis Mariae extrinsecus, ex Eius amore effluens, et etiam intrinsecus, qui est ratio Eius essendi, est Iesus.

Proindeque Maria tota in Iesu, Deo suo abdita est. Cunctae Eius cogitationes circa Eum versantur. Non est Ei ullum proprium studium. Magnum et unicum Eius desiderium est: delectationem Filii causare, gaudium in Eius Divino vultu afficere, multas copias animarum ad Eum trahere, quae magis magisque Eum glorificent.

Mariae unicum desiderium est perpulchrum hymnum amoris plenum: „Magnificat anima mea Dominum" repetere. Glorificantes ergo Mariam occasionem Ei praebemus, — sicut olim fecit Elisabeth, – ut novum actum ingentis amoris erga Suum Filium eliciat, et affectus Suae gratitudinis, adorationis et amoris exprimat. Quo fit, ut Mariam immediate honorando, Ea mediante Ipsum Iesum Christum colamus. Mariae actus adorationis, amoris, gratitudinis erga Filium, quorum nosmetipsi occasio facti sumus, nobis computantur, iuxta principium: Causa causae fit causa causati.

INTENTIO

Colendo igitur Mariam, primo — adimplemus filiale desiderium Iesu Christi, etsi hic et nunc huius rei prorsus immemores simus; secundo – Maria mediante adoramus Salvatorem, quando ad instar Elisabeth excitamus Beatissimam Virginem ad actus amoris et gratiarum actionis erga Iesum dirigendos, etiamsi singulis casibus huius rei conscientiam non habeamus; tertio – expressam habemus intentionem adorandi Christum.

Qui, adiuvante gratia Dei, amorem Iesu erga Mariam et Mariae erga Iesum bene consideravit, hic in omnibus manifestationibus suae pietatis erga Beatissimam Virginem intentionem colendi Iesum Christum, tum actualem tum virtualem, vel saltem habitualem semper fere habet. Homo rudis, qui profundius veritates sanctae nostrae fidei non


considerat, sed pia exercitia peragere iuxta doctrinam et mentem Ecclesiae catholicae, intendit, eo ipso intentionem implicitam Iesum adorandi habet. Non quidem ille cogitat expresse de Christo, sed quia vult Dei Matrem iuxta doctrimam atque voluntatem Ecclesiae catholicae colere, eo ipso vult etiam Jesum Christum adorare. Nam Ecclesia catholica, cum honorat Mariam, semper primario et per se Deum habet pro fine. Dicitur, homo rudis implicite intendere gloriam Christi, nam ob simplicitatem cordis sui nescit expresse finem Ecclesiae catholicae neque cognovit eius doctrinam circa hanc rem versantem. Attamen sane non multi adeo rudes inveniuntur, quin sciant Ecclesiam, glorificando Mariam, Jesum adorare intendere.

Ecclesia Sancta docet, finem ultimum et principalem omnis devotionis solum Deum esse. Maria est tantum creatura, non autem Deus – ergo finis ultimus et principalis devotionis erga Beatissimam Virginem potest esse solus Deus, Jesus Christus, non autem Maria.

Nonnulli abusum et excessum in devotione ardenti erga Mariam videre conantur. Attamen omnis quamvis ardentissima veneratio Matris Dei, secundum doctrinam et intentionem Ecclesiae catholicae habita, non potest dici abusus vel excessus quidam.

Ad mentem Ecclesiae catholicae finis ultimus seu principalis cultus, quamvis mediatus ac remotus, est semper ipse Deus. Beata Virgo non est nisi finis secundarius, quamquam immediatus, proximus, sed semper subiectus illo ultimo, – sicuti medium ad finem. Inde verum exercitium pietatis erga Immaculatam Virginem iuxta intentionem Ecclesiae catholicae non est nisi medium, instrumentum, via ad finem, qui est Deus. Utentes apto medio ad finem nec medii neque finis essentiam mutamus. Medium semper est medium, instrumentum remanet instrumentum, etiamsi ipsis quam diutissime, quam frequentissime et quam studiosissime utamur.


P. Georgius.



Beatus Ludovicus Maria Grignon*
servitium Immaculatae V. suscipit

Singularis amor immotaque erga Ssmam Matrem fides — en virtutes, quas tota B. Ludovici vita et res gestae spirabant. Cultui B. Mariae Virginis devotus iam a primis pueritiae annis insigni animi ardore flagrabat.

Quinque annorum puer rosario cotidie peragendo operam dat, aequales suos verbo et exemplo ad vitam castam, ad Matrem Dei ex intimo corde diligendam, ad virtutes Eius imitandas compellat, in sermonibus autem de Illa his semper verbis usus est: „En mea optima, piissima Mater". Uti intimum honorem et sincerissimum amorem in Ssmam Virginem testaretur, Eius ssmum nomen, cum baptizaretur, sibi assumpsit.



Aetate adolescente hic eius in Dei Matrem amor etiam atque etiam augebatur et cupiditas Eam quam celerrime cognoscendi instigabat eum, ut in omnia Mariana opera, ad quae sibi aditus pateret, praecipua diligentia incumberet. In unaquaque hebdomada ad s-am mensam, ut honorem B. Mariae praestaret, accedebat, frequens quoque in adorandis Eius altaribus conspiciebatur. De cingulo dependebat ei semper grande rosarium, cuius rei causa postea „pater magni rosarii" dici solebat. Cum alumnus seminarii doctrinis imbueretur, sanctitas eius nondum agnoscebatur, immo mentis non bene sanae et phanatici rigoris iuvenis habebatur. Saepe afflictionem et vexationem coram hominibus pati ei contigit. Etiam sacerdos factus in omni fere gradu difficultatibus et doloribus premebatur, Maria enim b. Ludovico minime pepercit, quominus affligeretur. Quo fidelius Ei deditus erat, eo diligentius Illa animam eius doloribus duriorem et politiorem reddere, voluntatem rebus adversis firmari, cor ab omnibus terrae rebus abripi et ad Sui immaculati Cordis exemplar conformari studebat.

Itaque ipse bene expertus haec scripsit: „Quos Maria maxime dilexit, maximos illis cruciatus parabit. In falso essemus, si, qui Matrem Dei invenisset, eum crucibus doloribusque vacari arbitraremur; immo atrocius aliis illum premi neccesse est, nam Maria, mater viventium, omnibus suis liberis particulam ex arbore vitae impertitur. Ita haec bona Mater crucem, quam Deus animam portare destinavit, non aufert, sed gratiam largitur, ut eam patiens atque etiam laeta gestet". Atque laetus angelorum patientiam exhibuit ille Vir Divinus in tam multis tantisque crucibus portandis, quibus a Deo oneratus est.

---

*) Beatus Ludovicus Maria Grignon natus est pridie Kalendas Februarias anni 1673 in oppido Francogallorum Monte Forti (Mont fort). Prima litterarum elementa cognoscebat in Collegio Societatis Iesu in Rennes, postea 20 annos natus studiis seminarii theologici sub tutela S. Sulpicii Parisiae se applicavit, ubi septem annos in disciplina moratus anno 1700 sacerdos consecratus est.

Sacerdotii munus adeptus missus est Ludovicus in urbem Poitiers, ut curam animarum in hospitali susciperet. Extemplo summo studio ad munus suum exsequendum adiit. Ea tamen apostolica actio minime cordi erat assectatoribus Ianseni, qui nihil praetermiserunt, quin ita assiduum apostolum ex urbe pellerent. Eorum artificiis factum est, ut Parisiam in hospitale vocaretur. Pedibus, panem mendicans longum iter continuare coactus est, impii enim eius insectatores rerum cotidiani usus et ad viam necessariarum copiam ei non fecerunt. Accidit aliquando, ut cum penuria cibi et membrorum lassitudine premeretur, iter Angerias (Angers) flecteret et locum quieti in seminario peteret, cuius rector olim ipsius praefectus Parisiae esset. Hic tamen ab insectatoribus inspiratus coram toto conventu inhumanissime eum tractavit et foras eiecit, Parisiae simili quoque modo a priore patre suo spirituali receptus est.

In novo negotii loco, in hospitali mente captorum, ubi 5.600 insani iacebant, alacri animo laborem suscepit. Ubique intererat, omnibus aderat, omnes consolabatur. Ubicumque apparuisset, disseminabat clementiam et miserorum animos leniebat.

Sed et hic diutius morari prohibitus est. Hospitalis enim curatores, cum virtus eius et auctoritas, quae apud omnes multum valebant, intolerandae sibi viderentur, celerrime id consecuti sunt, ut cura animarum in hospitali ei adimeretur. Ita negotio et rebus, quibus vitam sustinere posset, privatus ad eleemosynam descendere coatus est. Semel per diem a Sororibus regulam S. Benedicti observantibus cocto cibo adiurabatur, locus autem, ubi cubaret, tenebrosus, umidus sub scala angulus erat. Sed Dei Providentia super servum Suum vigilabat. Nam pauperibus hospitalis in Poitiers curantibus et petentibus episcopus tertium ei curam animarum in hoc hospitali mandavit. Sed invidia et odium insectatorum tum quoque Beatum loco destituerunt. Inde iam amplius eo officio numquam functus est, nam Deus alio eum laboris generi adscripsit.

Amor magnas res perficit. Ita beatus Ludovicus satis sibi non habuit, ut sensu solum suum erga B. Mariam amorem praestaret, sed omnibus humanis rebus contemptis totum se laudi Immaculatae praedicandae dedit ita, ut ipse saepe praeclaris verbis praedicare solebat: „Quem ad modum Te, Mater, diligam, dicere non valeo, attamen docebo“. Et re ipsa docuit. Exclamationem e suo proposito natam: „Per Mariam ad Jesum“ repetens peragrabat pedibus oppida et agros et in omnibus locis veritatem sempiternam et servitium Divinae Matri praedicabat.

Hoc apostolicum negotium cum magno animarum emolumento b. Ludovicus singulari quodam modo perficiebat.

Missio eius quaelibet spatium sex hebdomadarum amplecti solebat: ad viros (patres et caelebes), mulieres (matres et virgines), ad aetatem puerilem et pauperes. Mercedem huius laboris nullam tulit, vescebatur autem eo tantum, quod ex eleemosyna capiebatur. Tempore missionis cotidie cum populo Rosarium et corollam peragebat, cantica Mariae cantabat, septem processiones instituebat, ad quarum finem actum recitabat, quo omnes in tutelam Jesu Eiusque Beatissimae Matris se dedebant. Tum cum omni praesentium turba promissa Baptismi solemniter renovabat et crucem in missionis memoriam erigebat.

Incredibilis earum missionum effectus; sequebantur saepissime conversiones permultorum, accidebant miracula, sanationes, panis multiplicationes, bilocationes et b. Ludovici extases et sim.

Eo tempore percrebrescebat in Gallia supra dictorum Jansenistarum haeresis.

B. Ludovicus Maria Grignon Dei gratia tactus penitus perniciosum haereseos periculum perspexit eo magis, quod ea non solum sacerdotes, sed etiam episcopi obstringebantur, qui potius iustitiam Dei, quam misericordiam et amorem prae oculis habebant. B. Ludovicus summa opera in vitia haereticorum refutanda incumbit, cui rei praesertim eius missiones serviebant. Opera eius auxilio Immaculatae innixa fructus et effectus speratos ferebat.

Haec tamen pia et tam fructuosa Beati actio Jansenistas fugere non potuit. Primo clam eum opprimere conabantur et cum ea re nihil memorabile assecuti sunt, manifesti acerbissime eum adorti sunt, nihil inexpertum omiserunt, dummodo Ludovici actionem labefacerent et missiones eius irritas darent.

Anno 1705 episcopo annuente b. Ludovicus missionem exercebat in Poitiers et proxima regione. Missionis fructus omnem spem excesserunt. Furta et rapinae omissae sunt, plebs autem paenitens ad confessionis sedem frequens properabat. Attamen calumniis haeresiarcharum id debuit, ut publice corruptor dictus homilias praedicare vetitus et ex dioecesi pulsus sit.

Hanc mercedem pro laboribus et abnegatione nactus non tam humiliatione fractus, quam in labore ad Dei gloriam augendam impeditus b. Ludovicus Romam per Loretto viam iniit ad illius temporis papam Clementem XI, cui suam missionum ideam, in primis autem suam de Maria doctrinam explicavit. Beatissimo Patri eius actio non mediocriter probanda visa est et cum nihil vitiosum in eius doctrina latere intellexisset, missionarium eum apostolicum pro Gallia nominavit. Vix tamen b. Ludovicus in regionem urbis Poitiers reversus urbem ipsam intraverat, cum ab episcopo urbem intra proximas 24 horas relinquere iussus est.

E Poitiers pulsus in suae nativitatis dioecesim profectus est et in Montfort missiones inchoavit. Sed et hic Jansenistae consilia ei clandestina struebant et apud episcopum eum accusaverunt. Iterum b. Ludovico campus suae operae relinquendus erat. Nihilo minus a missionibus non recessit. Sed quo ardor eius apostolicus intentior erat, eo maiore odio eius insectatores in eum invehebantur. Usque eo furoris processerunt, ut ei manus imponere pararent, quod tamen felici casu ad irritum cecidit.

Labore vires superante persecutionibusque oppressus in gravem morbum implicitus est, qui duos menses saeviebat. Sed et hoc cruciatu ardor eius fervorque fracti non sunt, nam simulatque e lecto surrexit, statim ut antea missiones populo faciendas capessivit. Aliquando gravissima molestia afflitus est. Missio enim confici coepta est. In 17-um diem confessio generalis renuntiata est cum — Jansenistis struentibus — ab episcopo suspenditur (id est a muneribus sacerdotii arcetur). Beatus summos fructus sui laboris collegisse vetitus est. Inter lacrimas et dolorem, tranquillo tamen animo, hoc enuntiatum accepit.

Etiam a sibi proximis contemptu vacuus non mansit. Cum enim in Dinau fratri suo, sacerdoti s. Dominici, obvius verbis: „frater carissime“ eum salutavisset, iste hanc appellationem laeso animo tulit et viro divino omnem familiaritatis conexum rumpi oportere persuasit.

Continuo missionum operi deditus beatus ille vir templis etiam Domini restaurandis atque erigendis tempus reperire poterat. Eius studio atque opera ecclesia in Poitiers renovata est, quam sub singulari invocatione Matris cordium et Reginae s. Rosarii consecravit. In eadem urbe novam ecclesiam erexit sub invocatione s. Joannis Evangelistae.

Idem quoque ruinae eripuit et renovavit ecclesiam Matris Dei Dolorosae in Chéze, quae multis miraculis clarescebat et paulo post in solitudine San Malo pulchrum sacellum sub invocatione Sapientiae Dei erigendum curavit.

Labor iste vires unius hominis sane excessit. At beatus Ludovicus rebus asperis non succumbebat. Remediis pecuniae carens, sacerdotum eius loci — saepissime sibi infestorum — auxilio egens, artificiis, insectationibus, frigori et fami oppositus loco non cessit et constanter rei perficiendae instabat. Ipse pecunias necessarias exigebat, lapides portabat, tigna aedium aedificandarum ascendebat... et omnia ea Mariae dedicabat.

Anno 1710 opus magni laboris innit, ut in regione Pontis Castelli (Pont-Chateau) Calvariam erigeret. Ingentes turbae e proxima et longinquiore regione hoc spectabile opus — monumentum aedificandum adiuvabant. Die 14 septembris permissu episcopi opus consecrari parabatur. Ad eam solemnitatem 20 milia hominum concurrerunt. At vespere, pridie ante consecrationem, edictum venit Ludovici XIV regis, ut Calvaria dirueretur, locus solo aequaretur nullaque consecratio haberetur. Ita factum. Calvaria diruta, locus solo tenus aequatus, Ludovicus vero e finibus dioeceseos migrare coactus.

Ita in omni gradu, in omni incepto cruces tantum atque ludibria fortunae expertus est. His tamen persecutionibus, artificiis, rebus adversis, irrita spe minime a via detractus est, immo ad nova incepta etiam atque etiam stimulabatur.

Et cum inter tam multa negotia momentum otii ei incideret, ita id in usum covertebat, ut e lapide aut ligno statuas Divinae Matris sculperet, libros scriberet, cantica in honorem B. Mariae Virginis componeret.

Manserunt illius multi de Maria libelli, qui nostris temporibus in alias linguas versi sunt. Saepissime et libentissime leguntur prae aliis duo eius opuscula: „De perfecta in B. Mariam Virginem devotione tractatus“ anno 1712 conceptus,, cum in eremo S. Eligii se inclusisset, et „Mysterium Mariae.

Inter cetera opuscula vulgatiores b. Ludovici libelli sunt: „S. Rosarium, mirum conversionis et salutis mysterium“, „De praeaeterna Sapientia meditatio“ et multi minores.

Id, quod gravissimum in libellis b. Ludovici Maria Grignon nostrum animum tangit, est: „Per Mariam ad Iesum“. „Maria adhuc — dicit ille — non sufficienter nota erat et haec est una inter alias causa, cur Iesus Christus non tantum notescat, in quantum id esse debeat. Iesus est finis, Maria — certissima et brevissima ad Eum via. Si animo amplecteremur, quantae gloriae in Hac miranda Persona Iesus particeps fiat, conspicum appareret nobis ita artissime Illa cum Eo coniunctam esse, ut prius lux a sole, flamma ab igne divelli possint, prius Angeli et Sancti, quam Maria, a Christo seiungi possint“.

„In sanctitatis via prima est Maria, tum Christus, denique Deus: en tres gradus. Per Mariam itur ad Christum, per Christum ad Deum. Alio modo nec preces audientur, nec summa virtus obtinebitur, quod cotidie in Angeli Salutatione exprimitur, cum os atque cor repetit: „Benedicta Tu et benedictus fructus venetris Tui“. *)

Pro tanto ardore et devotione Deus et Beatissima Virgo doloribus tantum et crucibus beatum suum servum temptavisse videri poterant. Attamen ita opinari decipi tantum est, nam pro sua parvuli in Immaculatam Virginem devotione b. Ludovicus iam vivus saporem coeli gustavit. Deus ei hanc gratiam largitus est, ut miracula faceret et arctissime cum Iesu et Maria vitam coniunctam ageret.

In festo Purgationis Divinae Matris, ut fideles ad Mariam diligendam et devotius recolendam impelleret, coepit loqui de Rosario, Subito res inopinata accidit: facies beati oratoris immutata vultum coelestem, inspiratum induit, candente nitore splendebat ita, ut vox ipsius tantum ab adstantibus agnosceretur.

*) Ad hanc ideam propagandam duae Congregationes: pro sacerdotibus et mulieribus a b. Ludovico conditae sunt.

Aliquando in Lugquon inter s. Missam beatus Ludovicus Deo praesente tactus post Elevationem divino afflatu in extasim translatus est et ita tres partes horae mansit. Videbatur item in horto, cum colloqueretur cum pulcherrima, magnae staturae, albis vestibus induta Domina. Quaenam fuerit, ille non dixit, at ei, qui aderant, nihil dubium habebant, quin cum Divina Matre colloqueretur. Ceterum b. Ludovicus, cum veteri suo amico, canonico Blain, anno 1714 obvius fuisset, ipse ei confessus est se aliquot annos spiritualiter praesentem in se Iesum et Mariam beatum intueri.

Vivus, Immaculatae indivisibiliter deditus, mortuus quoque necessitatem deditionis praedicare voluit. His parcissimis verbis totam suam in terra vitam claudit: „Cor meum iuxta altare mitissimae Matris sepelitote".

Marim.

BELGIUM MARIANUM

Rogatum est a me ut scriberem de devotione mariana in Belgio articulum. Multo facilius esset plures articulos de hoc argumento typis dare. Nimis enim periculosam esse rem abundantiam verbi de ea devotione paucis cogere, apparet.

Periculosius adhuc, si pulchritudini devotionis nationalis in Mariam nocere non velimus.

Amor et veneratio filialis erga B. M. V. iam a primis saeculis christianinizationis nostri populi viget.

Historia localis multarum civitatum et pagorum ab historia alicuius imaginis B. M. V. incipit. Nulibi verbum propheticum" Beatam me dicent emnes generationes" plus realizatum videtur, quam in nostra terra.

In omnibus viis et angulis ruris nostri, immo in plateis civitatum nostrarum, sive in regione flandrica sive in regione gallica, regnat ejus imago, imago Matris Dei misericordissimae, cujus brachia extensa benedictiones effundunt largissimas. Nulla est institutio pia, quae non sit plus minusve explicite sub ejus patrocinio posita.

Loca peregrinationis sacrae extructa in honorem Dei Genitricis ubique dispersa sunt. Praecipua horum etiam ad extra, famam acquisierunt, nempe Scherpenheuvel (Montaigu), Halle, Tongeren, Bauraing etc.

Memorare mihi placet, nostros Confratres Bruxellis imaginem miraculosam in nostra ecclesia possidere magna veneratione. Imago haec nota est sub titulo" O. L. Vrouw van Vogelenzang (Notre Dame du chant d'oiseaux).

Haec et alia omnia cultus externi impulsum quam maximum ad formandum populum marianum dederunt.

Non mirandum ergo, quod studium theologiae marialis elementum speciale extitit, quo theologi celebri connationales devotionem et amorem filialem erga Matrem nostram coelestem auxerunt et adhuc augere conantur.

Natio nostra, inter primas omnium ad applaudendum dogma Immaculatae Mariae, magnum stimulum hodie ad propagandum dogma Coredemptricis dat. Nisi nos mens non fallit, proxima causa floris hujus dogmatis in potentia, fuit efficax actio Cardinalis Mercier, qui opera sua theologos impellit, etiam problema studere et sententiam ferre de eo coegit. In suis allocutionibus ad clerum, in exercitiis spiritualibus ab eo praedicatis, in omnibus occasionibus cultum Mariae Mediatricis omnium gratiarum commendabat et promovebat.

Sacerdos flandricus, Edward Poppe, quam industrius coadjutor hujus

Eccleciae Principis fuit in defensionem privilegii mariani allatae.

Jam ab anno 1919 Edward Poppe se ut apostolum energicum Mariae Mediationis se praebuit. Nonne sua vita marialis extructa totaliter fuerit veritati huic? Videmus immo eum consensu ducis sui spiritualis, votum emendare, votum nempe, factum ad annum et „sub veniali“: semper et ubique in suis praedicationibus de Mariae Mediatione aliquid dicere.

Anno sequenti usque ad mortem hanc Mediationem defendere promittit. „Tota vita mihi confessio clamosa fiet Mediationis Tuae“ scripsit in una epistolarum suarum.

Incipiente anno 1921 novum periodicum marianum in lucem editum est „De Standaard van Maria“ quod vexillum in pugna adversus potentias infernales a Maria portatum, fuerit. Periodicum finem sibi proposuit: Mediationem B. M. V. propagare et explanare, insuper „Veram Devotionem erga B. M. V. „Vener. Patris Grignon de Monfort explicare et accommodare theologiae dogmaticae et morali, asceticae et mysticae in vita sacerdotali et apostolatu etc.

Redactio et administratio hujus novi periodici delata est Patribus Congregationis Ven. Grignon de Monfort. Sacerdos Poppe tamen magnus animator novae fundationis fuit. Consilio et se actione sua semper subsidio fuit, orabat et se sacrificabat, apud amicos et familiares, preces precario petebat.

„Pour être enthousiaste, scripsit Faber, notre amour de la Sainte Vierge n'a besoin que d'être théologique.“

Hunc theologicum cultus mariani aspectum enucleare et in lucem ponnere conati sunt varii oratores congressuum marianorum nempe Averhodii (1910) Bruxelliis (1921). Hoc conatur adhuc annuali congressu sic dicto „Mariale DAGEN van Tongerloo“ in Flandria. Agitur ibi imprimis de diversis dogmatibus quoad Mariam. Exponuntur studia historica, patristica et liturgica de rebus saepe nondum tractatis. Minime obliviscitur vi pars practica et ascetica cultus mariani.

Editiones.

Opus perpulchre Rev. Dom. J. Bittremieux, professoris Universitatis Lovaniensis „De Mediatione universali B. M. V. quoad gratias“ editum anno 1926, duobus annis plus duobus milibus exemplaribus in diveris regionibus et nationibus divulgatum est.

Acceleratio, qua editiones flandricae de Mariologiae argumentis auctore Prof. A. Janssen, una alteram succedebant, nobis extraordinarium enthusiasmum tradunt in Flandria et Hollandia erga talia opera.

Inter editiones marianae adnotandae sint periodici: „Middelares en Koning“ i. e. editio popularis propagandi movimenti Ven. Grignon de Monfort causa. „De Standaard ván Maria“ ut supra allata. „Maria Bladjes“ i. e. publicationes parvae de rebus marianis tractantes in quotidiano „De Standaard“ rubrica „De Mariale vereld“ reservatur, ubi quarto decimo quoque die conspectus de mundo mariano datur.

Missa propria B. M. V. omnium gratiarum Mediatricis.

Indubitanter praemium assidui laboris nostrorum connationalium pro dogmate Mariae Mediatricis fuisse fatemur: concessionem propriae Missae et Officii B. M. V. Mediatricis.

Nostra Universitas Catholica.

Nostra Alma Mater Lovaniensis semper se distinguebat ab aliis in defensione Immaculatae Marie Virginis et totis viribus totisque amplectabatur visceribus.. Invenitur in antiquo calendario dies, Immaculatae Conceptioni B. M. V. sacer. Quae dies eisdem festivitatibus ut Resurrectio

D. N. J. C., Nativitas et Pentecostes gaudebat.

Etsi Universitas, ut aliae, non habet cathedram Theologiae Marianae, de facto unoquoque anno, pars quae respicit Mariologiam et imprimis pars quoad Mediationem B. M. V., docetur longe lateque.

Congregationes Marianae.

Prima Congregatio anno 1563 ab Jesuita flandrico P. Leunes fundata est. Summus Pontifex Gregorius XIII hanc in „primam primariam" erexit. Istius congregationis sodales tendere volunt ad vitam christianam perfectam, adiuvante Maria.

In omnibus fere vicis Flandriae sodalitates „puellarum" (Jonge Dochters) existunt. Quae sedes tamen, ubi puellae congregationes frequentant, postea institutae sunt. Congregatio mariana stricte dicta pro viris destinata est; ut in Germania ubi congregatio characterem fortem, dignitatem equestrem et fidelitatem a suis sociis exigit.

Recentissimae — nondum publicae datae — statisticae horum congregationum sodalium hae sunt:

In Flandria

Congregationes:		
Pro viris	„	12
Pro mulieribus	„	32
Pro juvenibus (utr. sexus)	„	855
Pro pueris (utr. sexus)	„	160
Pro studentib. (utr. sexus)	„	139
Sodales:		
viri		2.989
mulieres		4.488
iuvenes		85.963
pueri		9.631
studentes		9.605
Congr. total.		112.676

In Parte Gallica Gongregationes fere 1.346 sunt quorum 200 pro juvenibus.

Devotio SS. Rosarii.

Post suam nominationem in Promotorem S. S. Rosarii, R. P. Berghmans O. P., omnibus parochis in parte flandrica nationis litteras misit (+ 1600) quibus exaltavit utilitatem et S. S. Rosarii praestantiam. Multae fuerunt responsiones ad has litteras. Inde „Apostolatus S. S. Rosarii" ortus est i. e. Secretariatus continens „Confraternitates S. S. Rosarii" et actionem promoventem devotionem Rosarii tam a Summo Pontifice PIO XI commendatam. Finis hujus praecipuus est: quam maxime communi precationi Rosarii in familia favere.

Finis et adhibenda Exc. Episcopis patefactae sunt. Qui libenter benedictionem et commendationem novo apostolatui mariano expanso dederunt et instanter parochos collaborationem in quantum possibile rogaverunt.

Eorum licentia P. Berghmans parochos visendi confraternitates causa, adiit. Horum confraternitatum, 900 vistitationem acceperunt. Quo factum est quod 600 sodalitates indormitae noviter vitam hauserunt. Circa 50 novae institutae sunt.

Annue ante mensem Octobrem ad parochos materia mittitur, ut bene exeat intentio apostolatus S. S. Rosarii. Includitur oratio tractans de argumentis, quoad devotionem Rosarii, aptatis specialiter nostris modernis temporibus.

Sic anno 1934 tractatum est de Confraternitate ipsa, anno 1935 de S. S. Rosario et Familia, anno 1936 de S. S. Rosario et Communismo, anno 1937 de S. S. Rosario et educatione juventutis.

Unoquoque anno apostolatus Rosarii curat allocutiones per Radio mense Octobri.

Non praetermittendum est quod omnes fere organisationes catholicae et sociales devotionis S. S. Rosarii propagationem in suis programmatibus inscripserunt.

Memoriae prodendum puto consuetudinem gentis ruralis orandi Rosa-

rium vespere in Ecclesia parochiali quando aliquis vicinorum diem supremum obiit.

Militia M.I.

Militia pacifica Mariae Immaculatae etiam in Belgio orta est. Plerumque in parte flandrica floret. Card. E. J. Van Roey novum movimentum benigne accepit et die 21 Octobris 1933 sedem filialem Lovanii erexit. Nunc sedes et centrum nationale Militiae Hallis prope Bruxellem extat, in nostro collegio franciscano pro juvenibus probandis educandis. Militia hinc aspectum particularem acquirit. In Belgio nempe continua adest pugna pro juventutis christianisatione. Haec pugna strenue prosequitur. Certum est, nos sperare ultimam victoriam, finem imponentem oppressioni sectariae et occassioni spirituali nostrae catholicae juventutis.

Quale remedium effectum suum melius habeat quam malum hoc in suis oppugnare radicibus, acquirendo nempe per intercessionem Immaculatae conversionem massonum. Contentio enim haec pro anima pueri acquirenda apud nos omnino a massonis et „loges" cum suis potentiis tenebrosis, ducitur. Reapse populus noster non facile capitur specie doctrinarum philosophiae perversae vel sociologiae marxistae.

At re negari non possit, in suis scholis sic dictis „neutraal" status juventutem educit „modo liberali". Innumeri sunt juvenes nihil aliud de re morali aut de fide catholica scientes quam a longo tempore jam abiectas objectiones.

Favemus dictaturae.

Ultimis temporibus ab unoquoque et ubique de regimine dictaturae loquitur.

Etiam nos in nostra natione dictaturam erigere volumus. At dictatura Christi et Immaculatae erit. Arma nostra nequaquam sanguinea, immo et fortiora et efficaciora omnibus armis sunt.

Erectionem Militiae M. I. in nostris regionibus recipimus ut „aciem ordinatam" in sectam massonicam quae clam at non minus vehementer animam catholicam nationis depravare conatur., et incuriam spiritualem excitat. Consolatio quam magna, cum quotidie novi milites nostro exercitui pacifico nomen dant. Quam aedificant litterae perplures, quibus amor et affectus erga Immaculatam nostram Matrem exprimitur, et quae saepe testimonium totalis deditionis in manus B. M. V. sunt.

P. H. Nicefors O.F.M. Conv.

„Nostra Domina de Jazłowiec"

In Polonia, Archidioecesi Leopoliensi Latinorum, positum est parvum oppidum — „Jazłowiec" nuncupatum ex hoc percelebre, quod ab XV aevo suae erectionis, sedes B. Mariae Virginis vocari potest. Sed favor Dei Genitricis super hunc locum praecipue clarescit in turbulentissimis recentioris aevi temporibus, cum piissima et magni animi mulier mater Marcellina Darowska in Jazłowiec a. 1863, Congregationem „Filiarum Immaculatae Conc. B. M. V.", de educandis puellis optime meritam, fundaverit.

In altari capellae, a. 1884, statua B. M. Virginis Immaculatae, ab artifice Eduardo Sosnowski affabre ex marmore exsculpta collocata est, quae mox insolitis gra-

tiis, non solum inter moniales et earum alumnas, sed harum parentes, consanguineos, cognatos, immo fidelem populum per totam Poloniam claritudine eminebat et nunc floret.

Sed Immaculata in hac effigie singulariter tempore magni belli, quod in Jazłowiec ab a. 1914 — usque ad 1920. a. crudelissime saeviebat, benignissimam se praebuit.

Inter duas invasiones moscoviticas et postea ukrainiticam et bolschevicam cum ignis totum fere oppidum combussisset, capella et monasterium intacta permanserunt. Moniales, ancillae Immaculatae in grandine plumbea, imperterritae, tacite hymnum: Magnificat, orantes procedebant et laborabant in horto. Erant etiam ex militibus, ambarum copiarum, qui visione in aere supra capellam, Mulieris, veste alba et coeruleo pallio indutae gloriabantur. Sed magis, quam muros defendebat B. Virgo animas. Ad specialis Ipsius gratias, numerari debet, quod multi vulnerati milites, ex omnibus gentibus, hic pugnantes, hac Coeleste Samaritana inspirante, confessiones, maxima cum contritione peragebant et Sanctissima Synaxi refecti, vel valitudinem obtinebant, vel felici morte moriebantur. Quo in diluvio calamitatum terribilissimi nuntii de cassatione monasterii venere.

Sed profuit Sanctissima Imperatrix, nam die 11 Julii 1919 a., quatuor decima legio equitum Polonorum, duce Generali Żeligowski invocante et pro tessera tenente: „Nostra Domina de Jazłowiec", famosissimam victoriam de hoste Fidei et Patriae, quater exercitum Polonorum praevalente, reportavit.

Disputari potest, utrum miles Polonus visionem coelestem Invictissimae Reginae prae oculis habuerit, ut nonnuli volunt, an ex Eius solum amore, tanta fortitudine inflammatus sit ut validiorem hostem superaret, hoc tamen certum est, statuam B. M. V. Immaculatae militibus ignotam et in capella religiosarum occlusam, nomen legioni „Jazłovicensis" dedisse, atque Ducissam ac Patronam exercitus proclamatam esse. Sub Cuius gloriosis auspiciis Legio statim et alias insignes victorias de nefandis bolschevicis reportavit. Quam ob rem grato animo legio, quotannis die anniversaria pugnae (2 Julii) et in Festo Immaculatae Conceptionis, hieme, 250 km. equestrem peregrinationem, per duos electos equites ad Jazłowiec peragit, qui piissime ad sancta sacramenta accedunt et maxima cum devotione imagines et numismata B. M. V. „Jazłoviecensis" pro se et suis familiis petunt et saepissime ut ad Mariales Sodalitates inscribantur rogant. Centurio legionis Nowacki hymnum de „Nostra Domina Jazłovicensi" composuit, quem exercitus, ut orationem quotidianam cantat, moniales vero cum suis alumnis, tanquam proprium carmen receperunt.

Sed Marianus Cultus Jazłoviecensis, speciale momentum, ob influxum socialem importat. Duces enim legionis, tirones in devotione peculiari erga B. M. V. Immaculatam educant et militibus post servitium legionem deserentibus, pagum quondam destinant sub titulo et tutela Nostrae Dominae de Jazłowiec existentem. Congregatio Sor. Immac. Conc., cum legione, philadelphiam eamque spiritualem iniit. Sorores adiuvant milites orationibus et earum discipulae influxum moralem in familias militares exercent.

Qui eventus non fugerunt attentionem Archipraesulis Dioecesis Excel, ac Rssimi Dni Dris Boleslai Twardowski, Metropolitae Leopoliensis rit. lat, eximii Cultoris Beatissimae Virginis, qui d. 2. VII. 1930, secundum mentem Decretorum Summorum Pontificum, ut indulgentiae lucrari possent, Statuae Gratiosae titulum: „Nostra Domina de Jazłowiec" adiudicavit.

Aggravescente ex hoc magis magisque cultu B. V., Moderatrix gen. Congregationis, ven. Sor. Seniora Dobrowolska, suo, suorumque sororum nomine Excell. Dno Archiepiscopo, supplices preces de procuranda a S. Sede coronatione sacrae effigiei, praesentavit. Annuit libentissime Pontifex Marianus et completis omnibus de iure faciendis tum „quoad gratias immo at miracula, quam cultum dictae statuae" Decretum confirmationis, die 31. III. 1938 a., edidit et promulgavit.

Gratiae insignes conscriptae numerantur hoc brevi tempore: 70, sed continuo influunt novae. „Superplena gratia" est hic Virgo Immaculata. Consolatrix afflictorum corpore animoque, verificans verba Hiobi: „Oculus fui coeco et pes claudo" et in aegritudinibus sine ulla rerum exspectatione maxima salus. Ad tactum imaginis et numismati fugantur morbi, languidi curantur. Sed in aevo nostro desperationis et depressionis adest Eius speciale praesidium in moeroribus moralibus. Testantur permulta vota quibus circumornatum est totum altare non solum in capella Jazłovicensi, sed in aliis domibus eiusdem Congregationis in quibus exemplar „Dominae Nostrae" colitur qua palladium ordinis.

His argumentis commotus Exc. ac Rssimus Archiepiscopus, Metropolita Dr Boleslaus Twardowski humillimas litteras Romam porrexit, ut miraculosa statua, nomine et auctoritate Suae Sanctitatis, diademate regia deornearetur. Et cum oppidum Jazłowiec, fines Bolscheviae fere attingat, indubitanter sperandum est, Immaculatam „Dominam nostram Jazłoviecensem" etiam nunc antiquum serpentem devicturam esse.

Quid Patres Ecclesiae in suis scriptis de B. V. Maria censeant

MATER MISERICORS

Est Deus fons aquarum viventium. Christus autem Unigenitus Dei fluvius rivusque est ex perenni fonte perpetuo manans; Mariae autem fontis huius et rivi divinus est aquaeductus, ut Bernardus ait. Ser. super Missus

Sanctus Laurentius a Brundusio, Opera om. Patavii 1928, V. I. p. 154.

Ipsa est ergo aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis in castrorum acies ordinata. Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die; nox autem est culpa, diluculum paenitentia, dies gratia. Qui ergo iacet in nocte culpae, respiciat lumen, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor Eius ad compunctionem illustret... Qui vero ad diluculum paenitentiae surgit, respicat auroram, deprecetur Mariam, ut Ipsa per Filium cor Eius ad satisfactionem illuminet... Quia vero militia est vita hominis super terram (Job. 8.)... Quicumque sentit impugnationem ab hostibus, vel a mundo, vel a carne, vel a daemone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium „mittat auxilium de sancto, et de Sion tueatur" (Ps. 19.).

Sicut Eva omnes nos genuit mundo, sic Domina nostra, omnes nos genuit coelo.

Ser. 2 in Pentec.

Merito igitur, o Domina ad Te respiciunt oculi universae creaturae, per quam et in qua et ex qua benignissima Dei manus quidquid creavit, recreavit. Ser. 6 de Assum. B. V. M.

Sol beata Virgo est, quae nos inflammet suis precibus et exemplis et patrociniis, et hoc per caritatem suam copiosissimam

Ser. 2 de Nativ. B. V. M.

Fiducialiter et secure adeamus cum fiducia ad thronum gratiae Dei, id est Virginem Mariam gratia plenam et misericordia, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio oportuno. Collatio 1 de donis Spiritus S. n. 5.

Thronus, in quo requievit et residet divina gratia, est Virgo Maria, ad quam debemus accedere cum certitudine fiduciae tamquam ad Matrem et reginam misericordiae. „Ipsa enim, ut dicit Bernardus, est peccatorum scala et nostra fiducia et tota ratio spei nostrae". Unde talem per ipsam apud Deum habemus fiduciam, ut quidquid petierimus, impetremus, si cor nostrum fuerit in eius amore et dovotionis gratia stabilitum.

Ser. 5 de Annun. B. V. M. S. Bonaventura, Op. Om. t. 9.

Propter dignitatem maternam est Virgo Maria diligenda, veneranda et cum omni fiducia adeunda, tamquam summae misericordiae Mater.

S. Bonaventura Op. Om. t. 7. Commentar. in Luc. 1, 81.

Delectabile et suave videre Matrem clementiae et audire, quae omnibus delectabilis est, quae filiis suis propinat lac et mel in sua Prole, ut sit mel in gustu Deitatis, et lac in gustu humanitatis... Ipsa enim semper loquitur verba pacis et pietatis, et ideo omnibus est amabilis.

Ser. 1 de Nativ. M. V.

Per ipsum Filium in omnibus electis B. Virgo mittit radices suae sanctificationis. Certe „si radix sancta, et ram" (Rom. 11, 16); qui radicatur in Virgine Matre per amorem et devotionem per eam sancticatur, quia ipsa impetrat eius a Filio suo sanctificationem. Numquam legi aliquem Sanctorum, qui non haberet specialem devotionem ad Virginem gloriosam".

S. Bonaventura Op. Om. t. 9. Ser. de Purif. M. V. M.

Dulcedine gratiae fuit repleta, non propter se tantum, verum etiam propter generationum succesionem... Nam caelestis gratiae dulcedo in ipsa reposita fuit, ut omnes ad ipsam reccurerent pro impetranda gratia.

S. Bonaventura Ser. 5. de Nativ. B. M. V.

Ante auroram non apparent colores; sic ante Virginem nec gratiae nec virtutes, sed dicebatur: „Domine, in caelo misericordia tua".

Ser. 6 de Nativ. B. M. V. — S. Bonaventura Op. Om. t. 9.

Ad ipsum Christum accedimus per Virginem Mariam, quae tamquam Mater misericordiae pro nobis ad Filium interpellat, iram Dei mitigat contra peccata nostra. Ser. 5, de Nativ. B. V. M.

Sicut sol precedit et decorat corpora totius maximae mundialis, sic B. Virgo praecellit et docorat membra totius Ecclesiae militantis et etiam triumfantis, et hoc, quia ipsa est mulier, non tantum bona, sed etiam optima, pro eo quod nihil deest ei de eo, quod facit ad commendationem et perfectionem bonae mulieris. Ser. 3 de Nativ. B. M. V.

Intelligitis, quod beata Virgo dicitur fons ratione originationis bonorum. Ista originatio principaliter est a Deo, deinde per Christum et tertio redundat in beatam Virginem, et ideo ipsa dicitur et quarto, convenit cuilibet personae, quae habet diffusionem alicuis boni. Ser. 4 de Assump.

Bona autem mulier ista, quae soli comparatur, non est mulier quotiescumque, sed illa quae est bona simpliciter, et haec est Virgo Maria, de qua Hieronymus: „Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta, quamvis virtutibus eximia comprobetur.

S. Bonaventura, Op. Om. t. 9. S. 2 de Nativ. B. M. V.

Filius infinitat matris bonitatem; infinita bonitas in Christo ut in fructu infinitam quandam adhuc ostendit in Maria ut in arbore bonitatem.

S. Albertus M. Mariale q. 197.

* * *

Ave mundi spes Maria,
Ave mitis, ave pia,
Ave caritate plena.
Virgo dulcis et serena,
Sancta parens Jesu Christi
Electa sole fuisti.
Esse mater sine viro,
Et lactare modo miro,
Angelorum imperatrix,
Peccatorum consolatrix,
Consolare me lugentem,
In peccatis iam petentem,
Me defende peccatorem,
Et ne tuum des honorem,
Alieno et crudeli,
Precor Te Regina coeli,
Me habeto excusatum
Apud Christum tuum natum:
Cuius iram pertimesco,
Et furorem expavesco,
Nam peccavi illi soli.
O Maria Virgo, noli
Esse mihi aliena,
Omni gratia tu plena.
Esto custos cordis mei,
Signa me timore Dei,
Confer vitae sanitatem,
Da et morum honestatem,
Da peccata me vitare,
Et quod iustum est amare.
O dulcedo virginalis,
Numquam fuit, nec est talis,
Inter natos mulierum.
Omnium Creator rerum,
Te elegit genitricem,
Qui Mariam peccatricem,
Emundavit a reatu.
Ipse tuo me precatu,
A peccatis cunctis tergat.
Ne infernus me demergat.
Eia rosa sine spina,
Peccatorum medicina,
Pro me Deum interpella,
Ut me salvet a procella,
Huius mundi tam immundi:
Cuius finctus furibundi,
Omni parte me impingunt,
Et peccati zona stringunt.
Christe Filii summi Patris
Per amorem tuae Matris,
Cuius venter te portavit,
Et te dulci lacte pavit:
Te per ipsam oro supplex,
Quia tu es salus duplex,
Rerum dator mundanarum,
Atque salus animarum,
Te nunc precor licet reus:
Miserere mei Deus...

Innocentii III Hymnus. *)

SERMO IN ANNUNTIATIONE B. V. MARIAE

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi (Luc. 1.).

Verbum quod audistis, fratres carissimi, Dominicae annuntiationis continet historiam, in qua Verbum, quod erat in principio apud Deum, venturum in carne annuntiatur, sicut Joannes dicit: Verbum caro factum est et habitavit in nobis (Joan. 1.). Ipsum est illud verbum abbreviatum, quod fecit Dominus super terram, imo vere brevissimum. Nam licet in natura suae divinitatis incomprehensibile sit et infinitum, nostra tamen natura adeo breve factum est, ut tegeretur velamine modici corporis, pannis involveretur, et

*) Verba: Patres Eccl. intelligenda sunt hic sensu latissimo.

caperetur ab utero Virginis, quod a diebus aeternitatis totus mundus capere non potuit. Nec immerito Verbum, quod Christus est, annuntiatur cum verbo salutationis, quia ipse Christus amator est nostrae salutis. Quod potes intelligere, considerata eius nativitate, vita est morte et resurectione. Nativitas enim eius naturam nostram purgavit, vita eius vitam nostram instruxit, mors eius mortem nostram destruxit, resurectio eius salutem nobis contulit.

Propterea cum voce salutationis angelus Virginem alloquitur dicens: Ave, Maria, tres salutationes celebres in evangelica serie invenimus. Salutat enim Christus discipulos suos cum dicit: Pax vobis (Luc. 24.). Salutat angelus Mariam cum dicit: Ave, Maria, gratia plena (Luc. 1.). Salutat Elisabeth cum legimus: quia ascendit Maria in montana cum festinatione in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Hac triplici salutatione triplex concordia nobis significata est, videlicet Dei ad hominem, angeli ad hominem, hominis ad hominem. Discordat enim Deus ab homine propter peccatum primae praevaricationis. Discordat angelus ab homine, quia, cum conservi in obsequio Dei esse debuissent, homo se subdiderat, dominio diaboli. Discordat homo ab homine, Judaeus a gentili eo, quod iste Deum ille vero idola coleret. In prima erga salutatione significatur concordia Dei ad hominem, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. In secunda significatur concordia angeli ad hominem, qui per Christum cohaeredes vitae aeternae facti sunt. In tertia significatur concordia hominis ad hominem, in una fide sociati sunt. Et quia haec triplex concordia per beatam Virginem facta est, dicat Deus, dicat angelus, dicat homo: Ave, Maria. Haec concordia, ut puto, in hoc etiam significata est quod nomen primae matris, id est Eva, mutatur in verbum salutationis. Siquidem hoc nomen Eva duas voces geminam miseriam humanae naturae pretendentes in se habet. Cum duplici enim miseria homo in hunc mundum nascitur, id est culpa et poena. Quando ergo nomine illo converso Mariae dicitur: per hoc datur intelligi quoniam per beatam Virginem, et culpa in veniam, et poena in gloriam commutata est. Et attende si placet quod, ave quandoque est vox optantis, quandoque vox orantis, quandoque vox congratulantis. Vox optantis est cum dico proximo meo: Ave, quia opto ei salutem: vox orantis est, cum dico: Ave Crux spetiosa. Non enim ligno salutem opto, quam habere non potest, sed oro ut virtus crucis salutem mihi operetur. Vox congratulantis est, cum modo dicit Ecclesia: Ave maria, vel cum dicit: Salve, sancta parens. At si diceret: congratulor, vel congaudeo tuae saluti.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

Ut autem ad stellam nostram revertamur, qui in mari sunt vident eam a remoto: qui in mundo vident eam a vicino: qui in coelo, vident eam a proximo. Qui aliquid videt a remoto, rem quidem videt, sed neque genus personam rei discernit: qui e vicino videt aliquid, rem et genus rei discernit, sed non personam, qui e proximo videt aliquid, et rem et genus rei et personam cognoscit.

Qui ergo in mari sunt, stellam nostram a remoto respiciunt: quia homines in magnis criminibus vel ut in mari fluctuantes, quamvis timore supplicii, affectu tenui quandoque ad Deum, vel ad ea quae Dei sunt respiciunt tamen caligine peccatorum involuti a contemplatione coelestium repelluntur, sique nihil spiritalis gratiae in se experientes, coelestia quodammodo a longe vident, sed non statum nec praesentiam eorum possunt advertere.

Justi vero qui in mundo, id est in munditia cordis positi sunt, stellam hanc vident vicino, quia dum sancte vivendo in coelis habent conversationem, per stilicidia gratiae futuram vitam praepugnantes, etiam statum sanctorum pro modo huius vitae concipiunt.

Qui vero in coelis sunt, stellam istam vident e proximo, quia immediate Deo fruentes, oculo contemplationis serenato, perspicaciter sanctorum praesentia pariter et visione delectantur. **Absalon Abb. (saec. XII.)**

Mulier, sed intacta; mater, sed Virgo. Haec in utero circumdedit puerum, sed virum; infantem, sed Deum. O vere novum, quod hodie fecit Dominus super terram; quia stella solem, creatura Creatorem, filia patrem concepit. Hodie fecit, ut aeternus sit temporalis, simplex compositus, et immortalis sit mortalis. Innocentii III sermo.

„Ave Maria“, inquit (archangelus), ave, gratia plena, Dominus tecum“. O annuntiatio mirifica! O salututio peregrina. plenitudinis copiam portans, et virgineum pectus illustrans! Descendit igitur angelus flammigero volatu micans, et Mariae domicilium simul et mentem suae claritatis fulgore collustrans. Praeveniens iudicem Praeco, tam praeclarus et mitis, tam festinus et properans, ut in praetorio virginitatis, quae secreta manebat in terris, suscipi potuisset Dominus majestatis.

Leo Mag. In Annunt. b. Dei Genitricis et V. Mariae.

Et accedens ad Virginem eam suaviter salutavit: Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (Luc. 1.).

Ave, quia per te mutabitur nomen Evae. Illa fuit plena peccato, sed tu **plena gratia.** Illa recessit a Deo, sed **Dominus tecum.** Illa fuit maledicta in mulieribus, **sed benedicta tu in mulieribus.** Fructus ventris illius fuit maledictus Cain, sed **fructus ventris tui fuit benedictus Jesus.** Per illam mors intravit in orbem, sed per te vita rediit ad orbem; quia tu concipies et paries Filium, et vocabitur nomen eius Jesus. Innocentii III. sermo.

De partibus Immaculatae Virginis in formando „novo homine”

(Ut Venerabilem Clerum in contionibus elaborandis adiuvemus, sub hoc titulo viva exempla e vita contemporaneorum sumpta hanc rem dilucide demonstrantia ponemus).

Primum curas nescientis infantiae tempus in domo parentum intermisi, mox longos menses in schola oppidana, denique arti fabri claustrarii me dedi. Idque semper sub tutela optimae Mariae, ad quam in omnibus necessitatibus meis confugiebam. Quae tamen vivendi ratio non diu duravit. Utendo enim pessimis sociis, eorum persuasionibus obsecutus sum. Tunc primum sexto decalogi praecepto transgresso reus accusatus, cura parentum meorum absolutus quidem, nihilominus tam labore artis meae privatus sum. Ab hoc tempore in dies magis magisque peccatis indulsi, denique morbo contagioso infectus, non solum ad laborem suscipiendum, sed immo etiam ad ulteriorem vitam inhabilis factus sum.

Volui quidem mederi morbo, attamen labore privatus, non habui unde pecuniam sumerem.

Descendi ad furandum... ab hoc anno i. e. a. 1926 per 12 annos vitam fere omnem in carceribus transegi.

In Płock missus sum d. I. Februarii h. a. qua incorrigibilis, inclususque sum carceri separato. Ah, si post primum facinus hoc carcere affectus essem certissime tam diris maculis non essem pollutus.

Poena enim carceris communis damnato aliquoties iam punito non gravis videtur.

Alia res est, si agitur de carcere separato.

Quare vehementibus tentationibus urgebar ut mihi vitam adimerem: adeoque hanc poenam esse arbitratus, vehementi odio in Eum ferebar.

Tunc repente stella salutis mihi illuxit. Quomodo? Nisi miraculo hoc explicari nequit.

In porta cubiculi mei custos carceris stetit, exemplaria „Militis Immaculatae" manu tenens. („M.I." ephemeris est lingua polona edita gratiarum actiones pro acceptis per intercessionem Immaculatae V. gratiis contines).

Duo exemplaria huius ephemeridis accepi, ex quibus aliqua tunc perlegi, sed ut diutius legerem cogi non potui. Attamen longis moris vitae separatae atque gravissimis tentationibus adimendae sibi vitae pressus, denuo exemplar „Militis I" in manus sumpsi atque totum perlegi. Quo facto repente spe vitae novae honestae repletus sum.

Quare tot homines variis casibus mersi auxilio Immaculatae V. ex hac miseria salvantur? — repetebam. — Mihique soli omnis spes salutis abesset!

Et cum oculos ad anteactam vitam meam vertissem, equidem cohorrui! Vita mea aeternam damnationem meruit. Per duodecim enim annos confessionem peccatorum omisi, orationem neglexi, in incastis manibus potestatis tenebrarum mansi. Attamen salutaris scintilla fiduciae in auxilium Refugii peccatorum ex quo mihi illuxit non me deseruit. Haec una res gravissima omnium mihi videbatur, i. e. firmum propositum salvandi animam.

A parentibus acceptus amor Immaculatae V. potenti flamma resplenduit, ex corde erupit ardens oratio...

Saxea petra meae animae concussa orationibus ex libello precum capellano carceris accepto disiecta est.

Appropinquabat dies Resurrectionis... Flagranter rogavi Immaculatam Virginem ut mihi gratiam perfectae contritionis tribueret. Eiusque auxilio bonam confessionem peregi, Sacraque Sinaxi recreatus sum.

Nunc 33 vitae anno tantam laetitiam expertus sum, ut primam communionem accepisse viderer.

Pro quibus omnibus gratiis ac per 12 annos vitae remotae a Deo eiusque legibus tutela, ex imo corde Immaculatae Virgini, singulari meae Patronae gratias ago.

F. K. carcere coercitus.

* * *

Pater meus catholicus quidem fuit sed a pluribus annis procul ab ecclesia eiusque Sacramentis vixit. Cohabitatio cum eo domi fere impossibilis erat. Pro cuius conversione iam 15 a. nata incepi quotidie recitare Rosarium B. M. V.

Et interdum dubitabam utrum oratione mea hoc assequi valerem, sed cum legebam „Militem Immaculatae" (in lingua polona) spe denuo firmabar. Interea gravi morbo affectus pater meus iam morti proximus erat. Cumque nossem vehementem eius naturam, ex Rosario vires sumebam ad id, ut eum ad confessionem adhortarer. Quae omnia nihil respondens tacitus audiebat. Tum demum in genua provoluta Rosarium recitare incepi et credebam orationem meam a Immaculata Virgine exaudiri debere. Et non sum decepta. Pater meus ipse confessarium rogavit et conciliatus cum Deo, sumpta SS. Eucharistia mortuus est.

Tu mea optima Mater exaudisti orationes meas: optime persuasa sum a Te conversionem patris mei peractam esse. O Mater divina! Verba deficiunt, ut gratissimum Tibi meum affectum exprimam pro his aliisque per intercessionem tuam acceptis gratiis!

D. K.

CHRONICA

Civitas Vaticana

Papa Sanctissimus duodecim lustra in sacramento sacerdotis feliciter peracta celebrat. Die 20 Decembris anno 1938 Papa Pius XI. duodecim lustra in sacramento sacerdotis feliciter peracta sollemniter celebravit. Hoc ipso die Pater Sanctissimus Missam sacram in sacello privato celebravit. Eodem quoque die undique gentium plurimae gratulationes Romam missae sunt. Pio XI Pontifice Maximo numerus eorum, qui a Sede Apostolica ad reges aut reipublicarum praesides peregre missi in variis orbis terrarum urbibus morantur, pluribus auctus est. Itaque anno 1922 Legati Apostolici in Sinam et Africam Meridionalem, deinde in Indosinam missi sunt (anno 1925). Anno 1937 in Erythrea et Aethiopia, qui adhuc legati Apostolici vocabantur, inde legati Apostolici Africae Orientalis Italicae nuncupantur. Item in Bulgaria (1931) atque in Britannia factum est. Itaque Pio XI Pontifice Romano novem Legationes Apostolicae erectae sunt. In septem et quinquaginta civitatibus nunc morantur ei, qui Sedis Apostolicae res coram regibus aut rerum publicarum praesidibus gerunt. 37 viri muneribus legatorum aut ambassadorum funguntur. Qui reliqui sunt viginti numero; ii legati Apostolici ad res ecclesiasticas rei publicae uniuscuiusque regendas vocantur.

Ecclesiae Catholicae Summus Pontifex laborem vere aestimat. Pater Sanctissimus, cum se sacerdotes adirent, qui in posterum alterorum officiis vacabunt, orationem habuit, qua pulchritudinem laboris Apostolici se maximi aestimare docuit. Tum Pater SS. quoque exposuit laborem honestum ab omnibus catholicis summi ponderandum esse, nam labore Deo pro nostris peccatis satisfacimus. Iesus Christus — dixit deinde Pater SS. mundum ante laboribus, post demum pretiosissimo Suo Sanguine salvum fecit. Prudentissime igitur faciunt ii, qui labores negotiaque sua diligunt, aestimant et colunt, nam labor ad felicitatem aeternam consequendam admodum prodest, si negotia omnia a Deo hominibus permissa laete et humiliter perficiantur.

Quid S.S. Pater de Sancto Rosario dixerit. Pontifex Maximus Pius XI., cum quendam episcopum Francogallicum hospitio exciperet haec illum allocutus est: „Velis Tuis sacerdotibus nunties Patrem Sanctum cotidie Rosarium absolvere. Quamdiu Pater Sanctus Rosarium suum non absolvet, tamdiu dies Eius non est perfectus.


Anglia

Novus Sedis Apostolicae ad regem Britannorum legatus electus est. Die ipso Nativitatis Domini in Collegio Britannico Romae a SS. Patre Pio XI. paulo ante ad regem Britanniae Legatus Sedis Apostolicae nominatus Reverendissimus Godfreyo episcopus sollemniter consecratus est. Quem vero illustrissimum Legatum episcopum Cardinalis Carlo Rossi consecravit. Cui tam praeclaro festo plurimi civitatis Vaticanae magistratus interfuerunt. Reverendissimus Godfreyo est primus stabilis Legatus Apostolicus, qui Londyni res Ecclesiae Catholicae agit.

Pulchrum exemplum. Milites catholici in colonia Britannorum locis Singapore stipendia merentes 2.400 pondo sterlingorum templi aedificandi causa locis, quae Changi dicuntur, dono dederunt. Cuius quidem argenti satis plane erit ad illud templum extruendum.

Dania

Primus Daniae episcopus. Pater Sanctissimus Praefectum Patrum ordinis sancti Benedicti Patrem Th. Suhr Vicarium Apostolicum Daniae reddidit. Hic Vicarius Apostolicus titulo Daniae episcopi afficietur.



Tarragona capta Missa sacra sollemniter in maximo foro illius urbis celebrata est, cui quinta legio Navarrensis atque oppidani interfuerunt. Erat haec ipsa prima Missa sacra, quae Tarragonae inde ab initio istius belli civilis in Hispania gesti celebrata erat.

A reformationis temporibus O. Th. Suhr est, ut videtur, primus Catholicae Ecclesiae episcopus in illa civitate.

Gallia

Opus a nobilissimo artifice Francogallico, cui nomen est Lenfant, perfectum. Nuperrime Francogalliae anti qua in urbe Blois nova campanella a nobilissimo artifice Lenfant perfecta primo consecrata est. Qui illustrissi mus architectus iam in sua vita 43 campanellas extruxit. Novissima earum super ecclesiam cathedralem Notre — Dame de la Trinite structa est atque quadraginta et octo campanis constat. Ponderosissima earum sex tonnas pondo habet — omnes campanae — 17 tonnas.

Germania

Omnes scholae, quibus religio instituebatur, in antiqua Austria prohibitae sunt. In Germania scholae moderatores decreverunt, ut in Austria omnes scholae publicae atque diversis officiis sacrae, aliique ludi, qui a societatibus religiosis dirigebantur, publicarentur. Ad hoc quidem edictum perficiendum municipales societates scholarum vocatae sunt.

Hispania

Sorores coenobiticae feminas in vincula coniectas tutela amplexae sunt. Nationalis Hispaniae moderatores praeceperunt, ut omnium congregationum sorores coenobiticae curam mulierum in vincula coniectarum haberent. Licet commemorare has

congregationes ante bellum civile hac in re pariter occupatas esse.

Hungaria

Hungari omnem operam adhibent, ut sua acta hodierna nationalia sint. Plurimi Hungariae cives id agunt, ut opes Iudaeorum in unaquaque parte vitae publicae minuantur atque prorsus reiciantur. Postremo magistratus publici impediverunt, ne ephemerides ab Iudaeis editae in cursu publico prodirent. Quibus in actis hodiernis Iudaei novis rebus studebant atque rem publicam evertere cupiebant.
Licet quoque commemorare 138 ephemerides ab Iudaeis in Hungaria editas in illa civitate prodire prohibitas esse.

Italia.

Quemadmodum in Italia res missionaria exerceatur; Inter civitates, in quibus continuo novi missionarii efficiuntur, primum locum Italiani obtinent. Si ad numerum virorum, qui rei missionariae operam navant, attinet — Italiani secundo loco ponuntur. In re missionaria — ut in ultimis statisticae actis legimus — postremo tempore 3.260 missionarii occupati sunt, qui in 50 civitatibus totius orbis laborant et 5.633 virgines rei missionariae addictae. Praeterito anno numerus missionariorum 735 personis auctus est. His temporibus in Italia 150 ludi missionarii operam servitio Dei navant.

Excellentissimus vir, rebus publicis operam dans, singulari scientia praeditus sacerdos factus est. Ex locis Chioti nuntiant eo in ecclesia Seminarii Pontificii celeberrimum festum habitum esse. Namque nobilis professor Mantio Saviotti quadraginta annorum vir, singulari scientia praeditus, iurisprudentiae atque sociologiae admodum peritus, copiarum praefectus, qui novissimo magno bello interfuit, sacerdos est consecratus. Qui vero vir illustrissimus post multos annos laboris ad quaestum et vitae cultum relate sensit sibi in servitium Dei reddendum esse. Reverendissimus Saviotti variis partibus Italiae regis procurator atque partis faschisticae vir familiarissimus, cui varia singularia mandata partis moderatores commisserant.

De ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis. In Italia, ubi, ob magnum dioecesium numerum, permultae parvo territorio exiguoque clero constant, gravi immo quandoque insuperabili difficultate afficiuntur Ordinarii in officialibus et iudicibus vere peritis suo tribunali praeponendis.

Quapropter Pius PP. XI Motu Proprio statuit:

Singula quaeque Regio Conciliaris (18) seu Ecclesiastica Italiae constituet circumscriptionem unicam unumque habebit regionale tribunal quoad tractationem et decisionem causarum de nullitate matrimoniorum.

Officiales, iudices, promotores iustitiae, defensores vinculi aliique administri horum tribunalium — excepto tribunali Vicariatus Urbis, cuius Officialis, iudices. etc. ab ipso Summo Pontifice, proponente Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario, nominabuntur — deligendi sunt et constituendi, ad definitum tempus, ab Exmis Ordinarris in Coetibus Regionalibus.

Horum tribunalium iura et officia necnon practicam agendi rationem Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum definiet, etiam circa tempus quo quae supra statuimus executioni demandanda sint, necnon circa normas temporarias relate ad causas pendentes.

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum vigilem sedulamque, pro suo munere, det operam, ut tum Officiales, tum iudices, tum, praesertim, promotores iustitiae et vinculi defensores muneribus suis rite naviterque perfungantur iuxta normas ab eadem S. C. aditas vel edendas.

Statua Beatissimae Mariae Virginis in portu aëronautico Guidoniae posita est. Decimus December — dies festus Matris Dei Lorettanensis magna cum pompa — ut dies Patronae aëronautarum celebratus est. Hac in ipsa urbe aëronautica nuper aedificata, Guidoniam dico, quae centrum Italianorum studiorum rei aëronauticae est, celeberrimum festum habitum est. Illo quoque die Guidoniam aëroplano exemplar venerabilis statuae Matris Dei Lorettanensis advectum est. In portu aëronautico Guidoniae illam statuam ordinarius Episcopus publicis et aëronauticis magistratibus comitatus exspectabat. In ecclesiam paroecialem Guidoniae signum illud B. Mariae Virginis ab ipsis aëronautis allatum est. Milites aëronautici ad viam instructi Sacrae Statuae debitos amplissimos honores tribuerunt.

Dies festus, quo flores Immaculatae Virgini dono offeruntur. Die octavo Decembris Romae plurimi pueri ac puellae iam prima mane flores manibus tenentes in arenam quae „Piazza Spagna" appellatur properant. Qui quidem liberi magna cum pietate ad illam columnam accedunt, quae in medio foro alta atque excelsa posita est. In summa hac columna pulcherima statua Immaculatae Matris Dei spectatur. Sub eius radicibus pulcherrimi flores positi sunt — qui ex imo corde iuvenilium atque innocentium puerorum dono dati sunt. Itaque iuvenes pueribus parentum ac praeceptorum maxime confirmantur, quoniam Immaculatae Matris Dei opera multis gratiis afficiuntur. (Vide immaginem in ultima pagina impressam).

Maxima campanella in toto orbe terrarum in Italia extruetur. Mussolini, Italiae moderator, cuidam illustrissimo architectoni Italo praecepit, ut sibi rationes campanellae super ecclesiam cathedralem Mediolanensem struendae proponeret Architecton, cui est nomen Vico Vigano, summus artifex novae Italorum architecturae aestimatur. Quod quidem consilium campanellae struendae iam tempore proximo perfici iussum est, ita ut aedificium ante annum 1942 extremum ad finem perduceretur. Artifex ille cogitat hanc campanellam struere iuxta ecclesiam cathedralem Mediolanensem stylo gothico, qui dicitur. Insigne aedificium marmore candido sicut ipsa ecclesia cathedralis exornabitur. Campanella haec altitudine erit 164 metrorum, in summo vero aedificio signum Madonnae usque ad altitudinem metrorum sexaginta extruetur. Secundum aedificii magnitudinem fundamenta quoque iacentur. Quae mole ferrobetonica constabunt cubitu quattuordecim milium metrorum cubicorum. Ad turrim extruendam plus quam novem milibus metrorum cubicorum betoni opus erit. Praeter haec ad structuram movendam quattuor milia tonnarum ferri et 2.500 metrorum cubicorum albi marmoris addentur. In fundamentis turris cella quaedam instituetur, octo et dimidium metrum sub basi eiusdem turris abdita. Qua in cella eorum corpora sepulchris condentur, qui de republica bene meriti sunt. Muri illius turris sculpturis planis et anaglyptis ornabuntur. Ipsa campanella, id est cella, ubi campanae ponentur, supra 80 metra statuetur. Ibi duodeviginti campanae ingentes pendebunt a summis in hac arte artificibus atque ex optimo aere perfectae. In eodem aedificio supra 135 metra pulcherrima aula ponetur. Inde pulcherrimus regionis visus patebit. Etiam altior (supra 140 metra) quidem ponetur „Ara patriae", quae dicitur. Summa turris sub Madonnae quidem signo turriculis pluribus exornabitur. Turriculae illae in verticibus statuas virorum excellentium, sanctorum, profanorum habebunt. Exempli gratia habebis statuam Iulii Caesaris, Augusti, Vergilii, Columbi, Alighierii Dante, Michaëlis Angeli,

Leonardi da Vinci multorumque aliorum. Haec maxima in orbe terrarum campanella 60.000.000 lirarum stabit. Illi sumptus partim ex aerario publico, partim ex privatorum donis exaequabuntur.

Irlandia

Quot sacerdotes in Irlandia sint? Numerus sacerdotum saecularium atque monachorum 18.416 viros attingit. Qui numerus maior est numero magistrorum etiamque amplior virorum, qui in militia versantur. Sacerdotes Irlandiae ad ingenia omnium civium conformanda plurimum conferunt. Hi ubique videntur atque ab omnibus coluntur. Clericus nullum stipendium ex aerario publico accipit ac propterea nulli succumbit. Religione Christiana in Irlandia omnia, quae fiunt in vita publica, continentur. Hac in civitate rarissima sunt furta, fraudes et rapinae. Ecclesias omnes fere frequentant, plurimi quoque catholici Sanctissimam Eucharistiam sumunt. Irlandiae cives sunt superstitione liberi, in Deo honorando simplices, veraces.

Helen Landroth fidem catholicam professa est. In ecclesia sancti Francisci Xaverii in capite Irlandiae Dublin nuperrime sollemniter fidem catholicam professa est nobilissima scriptor Americana Helen Landroth atque ab erroribus protestantismi palam se abstinuit. Quae quidem nobilis mulier memorabilem fabulam, religione Christiana magna ex parte imbutam, scripsit, etsi dum hanc fabulam scribebat, protestans fuit.

Polonia

Anno millesimo nongentesimo undequadragesimo ei, qui Sodalitioni Marianae praesunt, constituent tres „Septimanas Marianas“, quarum duae rebus feminarum sacrae erunt et una viris illi societati adscriptis. Itaque haec quidem „Septimanae“ hunc in finem constituuntur, ut decreta Primi Poloniae Episcoporum Concilii melius agnoscantur et diligentius perficiantur.

Russia

Concilium atheorum in Russia habitum est. In Actis hodiernis Russiae publicis legimus die duodecimo Januarii 1939 anno magnum congressum societatum athearum ex universa Russia, „rubra“ Hispania et Mexico Moscuae habitum esse. Participes autem istius concilii id spectavisse, ut viribus consociatis fundamenta religionis Christianae funditus everterent.

Atheae imagines cinematographicae a militibus Sovieticis spectabuntur. Ut in Actis Publicis Sovieticarum Copiarum, quae „Krasnaja Zwiezda“ appellantur, legimus-mederatores politici „rubrarum“ copiarum ad omnes circulos militares in Russia sitos plurimas imagines cinematographicas ad diligentiam atheismi militum Sovieticorum confirmandam miserunt.

Russiae moderatores missionarios impugnant. Athei sovietici non solum id enituntur, ut religio Christiana ex animis hominum evertatur, sed etiam omni modo rei missionariae obstant. Quam ob rem nunc in Russia speciales cursus instituuntur, quibus speciales agitatores ex civitatibus, quibus coloniae sunt, educentur; qui vero agitatores missionarios impedient, quominus paganos ad veram Dei religionem adducant.

Bona congregationibus religiones adscripta a Russis publicata sunt. In ephemeride Sovietica, quae „Atheus inscribitur, legimus in universis Russiae regionibus 673 coenobia schismatica esse publicata. Pretium pecuniae, quae ex illis bonis publicatis acquisita est, quaeque in Tabulis Mensae Nummariae collocata erat, 4 billiones et 300 milia milium aureorum attingit. Praeterea 436 magna latifundia, quae coenobiorum erant, 1.112 minora bo-

na rustica, 277 valetudinaria et plus quam 900 milia ingerum fundi publicata sunt.

America

In aëroplano capella instituetur. Comperimus locis East St. Louis in Canada specialem aëroplanum strui, qui ara et vestibus liturgicis exoranabitur. Itaque haec erit capella „alata“. Quem vero aëroplanum perficere Societas Missionaria iussa est (Rev. Paul Schulte's Missionary Vehicular Association). Quae quidem societas iam duodecim aeroplanos habet, qui rei missionariae utilitatem ferunt. Novus aeroplanus hoc anno vere aedificabitur.

Devotio Mariae, Matris Dei, in altero hemisphaerio crescit. In nobili Americae Septentrionalis Chicago perpetuae preces ad Beatissimam Mariam Virginem Dolorosam perferuntur. Haec tam sollemnis caerimonia unaquaque feria V repetita tanta laetitia accepta est, ut magistratus, quibus disciplinae publicae cura demandata est, cogerentur accire securitatis publicae custodes disciplinae inter fideles hanc ecclesiam adeuntes conservandae causa.

Classis Argentinae sub tutela Imma culatae. Minister classis Argentinae in singularem fidem ac tutelam Imma culatae Matris Dei classem reipublicae Argentinorum tradidit. Itaque nunc Beatissima Dei Mater ab Argentinae nautis ut „Stella Maris“ nuncupabitur atque coletur.

Australia

Catholici Australiam incolentes „sacrae Scripturae Investigatores“ odio prosequuntur. Ex oppido Australiae, quod Sydney appellatur, comperimus ducem sectae „Sacrae Scripturae Investigatorum“, infamem iudicem Rutheford, civitates Australiae deserere coactum esse, quoniam propter sua turpissima facinora tum apud catholicos cum quoque apud protestantes in summam invidiam incidit. Cum vero ei multa agitanti nihil processisset graviter exacerbatus fines Australiae deseruit, atque omnia scripta, quae id spectabant, ut religio Christiana extingueretur, secum „liberaliter“ portavit. Quo factum est, ut sua versuta doctrina ab omnibus contemneretur.

Africa

Signum crucis Christi in monte Termaber consecratum est. Reverendissimus Castallani regis vicario Aethiopiae praesente magna cum sollemnitate crucem tredecim metrorum altitudine consecravit; quae quidem crux in summo monte Termaber altitudine 3.800 metrorum posita est inter Addis-Abeba et Dessis.

Vita et mores illius militum praefecti. provincialis, qui iam mortuus est, diligentissime inquiruntur. Qui vero fortissimus sacerdos vitam in Sahara in solitudine primum egerat deinde autem pro Christo a paganis omnibus suppliciis cruciatus diem supernum obiit. Itaque Praefectus Sedis Apostolicae reverendissimus Nouet ex ordine Patrum Alborum loca, quae Ain-Sefra appellantur, adiit, ubi pater Foucauld pro Christo sanguinem profudit, ut colligeret documenta postremae eius vitae.

Missiones.

Aegypti in Francogallia Minister missionarios catholicos summis laudibus extulit. Minister Aegypti, Praesidenti Francogaliae adscriptus Fakhry Passa orationem in quodam concilio diplomatico habuit, qua summis laudibus Francogallos miisionarios catholicos extulit et exposuit rem missionariam maximi ponderis ac momenti esse.

Antrum Immaculatae a leprosis in insula Ceylon'i structum est. In insula Ceylon'i, locis, quae Mantivu dicuntur, in dioecesi Trincomalie sitis ab ipsis leprosis grotta Immaculatae Dei

Genitricis Lourdensis fabricata est. Quae grotta ex lapidibus manibus morbo elephantico correptorum lepra putescentibus confecta est. Hi quoque miserrimi homines ipsi magnos lapidum truncos ex locis longinquis tulerunt. Anno praeterito haec tam nobilis grotta magna cum caerimonia consecrata est. Itaque haec celebrationes, tum quoque et pietas leprosorum magnam paganorum admirationem moverunt.

Indiana ecclesia in saxo ex loco Lourdensi portato posita est. Locis Bangalore Legatus Apostolicus Indiis destinatus, archiepiscopus Leo Kierkels magna turba fidelium etiam dissidentium et paganorum praesente novum pulcherrimum templum catholicum consecravit. Fas est commemorare illam ecclesiam in magno saxo Lourdensi a parocho O. Noronho de monte Pyraeneo advecto structam esse. Prima peregrinatio religiosa ad loca sancta in Lourdes sita anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio ab Indianis facta est.

In Africa numerus catholicorum crescit. Regio prope lacum Tanganica in Africa sita, ubi quinquaginta annis ante servi venibant, his temporibus opera Apostolica Patrum Alborum illis locis catholicismus florentissime viget. Itaque Urandi et Uranda — locis, quae sub potestate Belgarum sunt, numerus catholicorum decem novissimis annis trecentis milibus confessorum auctus est.

Numerus sacerdotum indigenarum quotannis crescit. Quinquaginta annis ante in duobus vicariatibus Apostolicis provinciae Hopech exigua pars sacerdotum indigenarum fuit. Itaque in Vicariatu Apostolico Pekin'i aliquot solum sacerdotes indigenae extiterunt. In regione, quae, Chentingfu appellatur, alumni Seminariorum clericorum rarissimi fuerunt. Attamen ut in Actis 1937 anni statisticae in lucem prolatis legimus, in eadem regione, quae decem provincias missionarias nunc continet, existunt iam 351 alumni, 540 pueri, qui in Seminariis minoribus instituuntur, atque 170 discipuli, qui in scholis „praeparativis“ edocentur. In provincia Hopech iam septem episcopi nominati sunt viri illius regionis.

— — — — — — — — — — — — — — —

Numerus episcoporum et sacerdotum indigenarum non solum in Iaponia, Sina, Indiis, sed etiam in Indosina, ubi nunc iam tres episcopi illius generis atque 1.226 sacerdotes creati sunt. Iamvero horum episcoporum minimus natu est paulo ante consecratus reverendissimus Ngo-dich-Thuc, vir quadragesimum annum agens haud obscura familia superiorum magistratuum natus.

Linter Eskimosi — capella B. Mariae. Nobilis regionum septentrionalium missionarius reverendissimus O. Bernard in sua peregrinatione missionaria loca, quae Riuvak appellantur, adiit, ubi ipse mirabilem Mariae Matris Dei capellam construxit. Quae quidem capella est scapha Eskimosi, atque ex piscium squamis confecta est.

Classis missionaria. Vicariatus Apo stolicus locis, quae Rabaul appellantur, varia negotia perficiendi causa quinque magnas lintres vi mechanica motas habet, quibus quinquaginta ton nae oneris navicularii transportari possunt. Fas est memorare has lintres omnibus finitimis stationibus missionariis utilitati esse. Praeterea missionarii undeviginti minoribus lintribus vi mechanica motis utuntur, quibus longa ad missionariam rem exercendam itinera fieri possunt.

Praefecturarum et Vicariatuum mutationes: A Praefectura Ap. de Yungchowfu territorii pars seiuncta est, ex qua nova Praefectura Apostolica „De Paoking“ nuncupanda erecta et Fratrum Minorum Ordini Concredita est.

De Calabar Praefectura Apostolica dismembrata et nova Praefectura Apostolica „De Ogoja“ erecta est.

Missio „Sui Iuris“ de Tukuyu in Praefecturam Apostolicam, eodem servato nomine, evecta est. Item Missio „sui iuris“ de Shaowu in Sinis ad Praefecturae Apostolicae gradum et dignitatem, eodem servato nomine, evecta est.

Praefectura Apostolica insularum Mayottae, Nossibeae et Commorae „de Ambania“ nuncupantur.

Territori pars tum a Vicariatu Apostolico de Eshowe tum a Praefectura Apostolica de Lydenburg separata et Prafecturae Apostolicae de Swaziland adnecta est.

A Vicariatu Apostolico Borneae Hollandicae pars seiuncta est, quae in Praefecturam Apostolicam nomine de Bandjermasin est erecta.

Vicariatus Apostolicus de Laos est dismembratus et nova erecta est Praefectura Apostolica de Vientiane et Luang - Prabang.

Varia

Sanctum Eminentissimorum Cardilium Concilium. Ex novissimis Actis Apostolicis certiores fimus hoc tempore, cum Eminentissimus Cardinalis Kakowski mortuus esset, numerum Sancti Eminentissimorum Cardinalium Concilii sexaginta duos viros attingere, quo in numero Italiani undequadraginta viros Purpuratos habent, viginti septem autem in exteris nationibus. Inter exteros Cardinales plurimi Francogalli sunt, (6), secundo loco Germani ponuntur (5), tum Hispani (3), deinde Americae Septentrionalis (3), postremo autem loco ceterae nationes collocantur (1). Anno 1938 septem Cardinales vita decesserunt et Summo Pontifice Pio XI regnante septuaginta et septem viri Purpurati mortui sunt, quorum quattuor et viginti ab hoc ipso Patre Sanctissimo nominati.

Frumentum comburitur, cum plurimi homines fame moriuntur. Ut in Actis, quae in rerum civilium cognitione versantur, declaratum est in toto orbe terrarum circiter 500 milia milium hominum famem et inopiam patiuntur. Quotannis autem circiter 200 milia hominum fame moriuntur. Anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio annonae inopia in Russia, Chinis et Indiis 2,4 milia milium hominum fame confecti sunt. Dum haec geruntur, in Civitatibus Americae Confoederatis, Canada et Argentina frumentum comburitur, ne minus annonae pretium fiat.

Fortissimus quidam puer, ne sanctae reliquiae polluerentur, impedivit. In ecclesia paroeciali Alcorae, urbe Hispaniae multos annos abhinc reliquiae beati Iohannis Babtistae Beltrani, parochi urbis supra commemoratae asservabantur; qui quidem pius sacerdos initio saeculi XVI sanctus mortuus est. Cum magistratus publici rebus atheorum studentes ibi regnarent, communistae illius sacerdotis sepulcrum aperuerunt et in animo habuere reliquias diripere easque dehonestare. Tum vero quidam fortis ac strenuus puer periculum sacrilegae profanationis arcuit, nam noctu nullo perspiciente in ecclesiam intravit et inde reliquias abstulit. Quae quidem reliquiae deinde a parentibus illius pueri duobus annis sedulo custodiebantur, dum atheorum principes illa in regione imperium tenebant. Nunc autem reliquiae beati sacerdotis solemniter iterum in eandem ecclesiam translatae sunt.

Statistica, quae omnes dolore afficit. In ultimis statisticae Actis in Francogallia allatum est primo trimestri huius anni multo plures homines mortuos esse ac divortiis seiunctos discessisse, quam natos et matrimoniis coniunctos esse. Numeri hi afferuntur: 1) trimestre 1937 anni: nati sunt 158.607 liberi — mortui autem sunt 177.671; matrimonio coniuncti sunt — 55.001, — divortiis seiuncti 5.206 homines. Primum trimestre 1938 anni: nati sunt 157.253, mortui sunt 192,937, — matrimoniis coniuncti — 54.639, — divortiis distracti 5.281 homines.

MILITIA IMMACULATAE (M. I).

„Ipsa conteret caput tuum".
Gen. III. 15.

„Cunctas haereses Sola interemisti in universo mundo".
Off. B. M. V.

I – Finis: Quaerere conversionem peccatorum, haereticorum, schismaticorum, iudaeorum etc. et praesertim massonum et sanctificationem omnium, sub patrocinio B. M. V. Immaculatae Eaque mediante.

II – Conditiones: 1) Totalis suimetipsius B. M. V. Immaculatae oblatio, tamquam instrumenti in immaculatis Eius manibus.

2) Gestare „Numisma Miraculosum".

III – Media: 1) In quantum fieri potest, saltem semel quotidie Immaculatam iaculatoria oratiuncula: „O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad Te recurrimus et pro omnibus, qui ad Te non recurrunt et praesertim pro massonibus", exorare.

2) Zelo et prudentiae singulorum relinquitur, ut unusquisque secundum conditiones status et temporis promoveat finis assecutionem; praesertim vero commendatur „Numisma Miraculosum".

N. B. 1) Media (sub nr. III) habent solum vim consilii; solo amore sine limite erga Sacratissimum Cor Jesu, ut Ei quam plurimas animas quam strictissime per Immaculatam uniamus, moveamur.

ACTUS CONSECRATIONIS B. M. VIRGINIS IMMACULATAE.

O Immaculata coeli et terrae Regina, Refugium peccatorum et Mater nostra dilectissima, Tu cui Deus totum ordinem misericordiae committere voluit, ego N.N. indignus peccator ad pedes Tuos me provolvo suppliciter petens, ut me totum et totaliter tamquam rem et proprietatem Tuam assumere, et secundum tuam voluntatem cum omnibus facultatibus animae et corporis, cum tota vita, morte et aeternitate mea, disponere digneris. Utaris etiam, si hoc Tibi placet, me totum et totaliter ad hoc quod de Te dictum est „Ipsa conteret caput tuum" et „Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo" exequendum, ut in Tua Immaculata et misericordissima manu aptum sim instrumentum ad gloriam tuam in tot deviatis et tepidis animis introducendam et quam maxime augmentandam et ita dulcissimum Regnum SS-mi Cordis Jesu quam maxime extendendum, ubi enim Tu intras ibi gratiam conversionis et sanctificationis impetras; per Tuas enim manus omnes ad nos gratiae ex Corde SS-mo Jesu perveniunt.

Dignare me laudare Te, Virgo Sacrata,
Da mihi virtutem contra hostes Tuos.

BIBLIOGRAPHIA

LIBER AD DIRECTIONEM MISSUS

Ks. dr Stefan Leon Skibniewski, profesor Uniwersytetu J. K. NAUKOWE ZASADY DUSZOZNAWSTWA czyli psychognozji, dla użytku kół duchownych. Lwów, Nakład własny: Lwów I., Skrytka 67. 1938. (pp. 144). Polonia.

Hic enim liber sacerdotibus, qui praecipue animae studiis vacant, destinatus est. Quo in libro singulares in hodierna psychologia progressus diligentissime ad omnes rationes hodierni hominis vitae sub specie psyhognoseos adaptantur. Animae actus autem describuntur, quatenus anima in illis primas partes agat, vel saltem in eis quodammodo participet, eo quod his actibus rationale elementum prebeat.

